Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 19

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 26.

Fr. Petrarchæ Epistolæ de rebus senilibus.

Cod. XIX.

Chartac. Fol. Sæc. 15. 1. 2.6.

In quo continentur Epistolæ Francisci Petrarchæ, non de Rebus familiaribus, ut creditum hucusque, sed maxime de Rebus Senilibus. Destitutus harum epistolarum editionibus, id quidem nonnisi conjectura evincere possum, quam præmissa tamen editionum serie stabilire aggredior. Numerantur a Nicerono T. 28. de Petrarcha, et a Fabric. Bibl. lat. m. et inf. T. 3. p. 229. sequentes: 1. Epistolarum de rebus familiaribus libri VIII. 2. Epistolæ 3 ad quosdam de illustribus antiquis, quasi sui contemporanei forent, Ciceronem, Senecam, Livium, Varronem, cum epistolari ad Socratem suum præfatione. 3. Liber epistolarum XXII sine titulo. 4. Epistolæ 128 de Rebus Senilibus digestæ libris XVIII. ex quibus decimus liber scriptus est ad Sacramorum de Pomeriis, ex equite armatæ militiæ monach. cisterc. 5. Epistolarum variarum LVII. ad Andream Dandulum aliosque liber unus. Jam quid harum codex noster?

Offert primo præfationem seu proemium Petrarchae ad Simonidem suum his: "Olim socrati meo scribens questus eram, quod ætatis hujus annus ille post "millesimum tercentesimum quadragesimus octavus, "omnibus me prope solatiis vitæ amicorum mortibus "spoliasset," — — — — "Quid nunc primo et "sexagesimo faciam anno, qui etc." Ergo 3 illæ /: supra n. 2. :/ epistolæ cum præfatione ad Socratem 13 annis nostras præcesserant. Lego insuper in nostra præfatione: "Est ad Socratem liber familiarium re"rum noster, corpore quidem ingens, et si finirem, "ingentior futurus; proinde quod illic præsagiebam, "video. Nullus enim alter epistolaris stili quam "vitæ finis." Ergo et illæ /: supra n. 1. :/ rerum familiarium epistolæ jam exaratæ prius quam nostræ.

Jam sequitur epistola prima ad Franciscum Scoꝝ Apłoꝝ de Florentia, fortune blanditias gtēptu magnifico repellendas /: ita in indice :/ quæ incipit: "Jam ante literarum tuarum adventum". Finem collectioni imponit 127ma, cujus initium: "Ursit amor tui,

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 19

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 27.

ut scriberem Senea, quod juvenis vix scripsissem", cui in fine additur anus 1374 mortalis Petrarchae. Ipse nostrarum epistolarum numerus, unacum praemio ad simonidem, numerum de rebus senilibus /: supra n. 4. :/ adaequat.

Epistolis additur index, indicans brevem cujusque Synopsin, initium, et eorum, ad quos directae, nomina. Vigesima tertia epistola ad Fratrem Bonaventuram Baffo Venetum adscriptum legitur: Lib. IV 9. Hinc conjicere licet, priores XXII, quibus nil tale adjectum, easdem esse cum illis XXII, quas supra n. 3. inter editas adduximus, sed conjectura est, nam et in curia Scriptoris libri I. II. et III. mentionem omittere potuit. Post epistolam 28vam Ad Fredericum Aretinum iterum tale invenitur subscriptum: lib' vtus epta VIa et sic saepius ad finem usque, ubi quatuor ultimis epistolis praeponitur: lib XVII. epta IIII. Addere debeo, libro XI epist. VI. Sequi epistolam Ad Sagramorum de Pomeriis ex equite etc. ut supra n. 4.

Ex quibus omnibus haec colligo: 1. Epistolas nostras, si non omnes, saltem a vigesima tertia esse de rebus senilibus; 2. In codice nostro non contineri epistolas omnes de rebus senilibus, quae habentur in Editionibus, sed eas tantum, quas describere Calligrapho placuit, nam ex libris 16to et 18vo planae nullae, ex aliis non nisi duae. Unde 3. Si quoque XXII priores epistolae sunt de rebus senilibus, verosimile fit in codice nostro quasdam existere ineditas, nam numerum 128 Epistolarum /: tot enim numerantur de reb. senil. :/ longe superabunt. Sed certiora dabit instituta cum editionibus collatio. ~~Vide~~. Pag. 320. in cod. nostro est epistola ad Carol. IV. Imperatorem, quam offendi in Zambecc. Coment. de Bibl. Caes. Lib. 2. colum. 885. ed. Kollar. ibique variantes Lectiones adnotavi.

Ad calcem codicis eadem manus adjecit "Epistolam Colucy Johis Bartholomei mgro domi Cortanensis Rnsuia" quae incipit: "R. facundissime jam plures effluxerunt menses," et finitur: "te me culturum offers et "ego colam Mihi amicus esse postulas ego te vere amicitie nexibus amplectar libenter denique sum tuus "esto meus salvet utrumque Deus Amen vale felix et "mei memor Florentiae die XIIJ Julii Colucius." Nequiparatur in ea Petrarcha illustribus antiquis, Ciceroni, Virgilio, Senecae etc. et libratis utrinque dotibus, ingenio, meritis, etiam praefertur.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 19

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 28.

An hæc epistola typis excusa sit, affirmare non ausim. Quatuor epistolas Colucii se descripsisse Mabillonius Itinere italico pag. 170. affirmat, quarum unam exhibet Edm. Martene T. II. Anecdot. p. 1155. forsitan et nostra ex illis. Tres videre licet apud Balluzzium Miscel. T. 2. p. 108. Sed non nostram. Ansel. Banduius Memoires de Trevoux 1709. Sept. p. 258. plures ejus epistolas cum ineditis Petrarchæ et aliorum edere voluit pluribus in 4. voluminibus, quas inter etiam nostra probabiliter locus fuisset; sed nihil quod sciam, ejus lucem vidit. Tandem hujus viri doctissimi epistolæ duobus in 8 Tomis recusæ sunt Florentiæ 1741. Quibus autem careo. Vide etiam Zamium in Catalogo Bibliothecæ Riccardianæ.

Franciscus Petrarcha Aretii ao 1304 natus ingenio et industria latinas atque Etruscas litteras mirifice illustravit; de eo Trithemius cap. 622.: "Philosophus "Rhetor et Poeta celeberrimus, qui humaniores disciplinas post longa silentia mortuas, ab inferis revocavit ad superos, non minus sancta conversatione, "quam scientia clarus emicuit." Quod verissimum Elogium præ cæteris alius sufficiat. Obiit Arquæ in Castro Patavini territorii 18. Julij, ao 1374. vid. Fabric. loc. cit. et quos ibi adducit.

Colutius Pierius, seu P. Colutius Pierius salutatus de Stignano, Etruria Florentinus, Urbani V. et Gregorii XI ab epistolis et Cancellarius Reipublicæ Florentinæ, cum Petrarcha, Gasparino Bergomensi, Leon. Aretino et Poggio inter literarum instauratores celebratus, pluribus scriptis clarus, diem clausit Florentiæ ao 1406.

Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 19

Österreichische Akademie der Wissenschaften, Institut für Mittelalterforschung, Abteilung Schrift- und Buchwesen: manuscripta.at - Mittelalterliche Handschriften in österreichischen Bibliotheken
Permalink: manuscripta.at/?ID=1723

Hill Museum & Manuscript Library, Saint John's University, Collegeville MN, USA - Online manuscript description:
OLIVER - Online manuscript description (HMML)